



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

16. Mirabiles naturæ, aut Dei fontes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

- rabilia, quorum non est numerus. Ecce enim & Nauclerus, ut videt, tertium hunc agit diem, ieiunio, & orationi vacans. Cumq; acquiescet scriba, quartâ die, circa sextam horam, surgens Nauclerus, clamauit voce magna, dicens: Gloria tibi, Christe Deus noster: ita ut omnes mirarentur in voce ipsius. Dixitq; nautis: submittite membranas. Et cum explicuissent eas, ecce nubes supra nauem veniens, tantum pluit aque, donec impleuerunt vasa, ad necessitudinem nostram. Erat autem miraculum grande & terribile, quod, velificante naue, nubes illa conserueretur nos, & extra nauem non plueret. Sic extra vellus olim ros non cecidit, ut apparet, destinato cecidisse. Impleta est igitur promissio illa: Effundam aquas super sitientem. Quod, si cui forte nubes non sufficit, audiat, tota maria dulcedinem induisse, ut seruis Dei in potum cederent. Anachoreta quidam erat in partibus Jordanis, nomine Theodorus Eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est constantinopolim pergere, ingressusq; est in nauim. Cum vero nauis diutius detineretur in pelago, defecit aqua, erantq; nauta, & vectores in magnâ anxietate & desperatione. Surgens autem Anachoreta & expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, factâ oratione, signauit mare signo crucis, & ait nautis: Benedictus Dominus, haurite, quantum aque opus habetis. Impleueruntq; omnia vasa sua de mari aquâ dulci. Et omnes glorificauerunt Deum. Qui utique reduxit prodigium Moysis aquis Mara amaritudinem adimentis. Glorificantes autem Deum compellare se meritò potuerunt illis verbis: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris; & dicetis in die illa: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius.

## XVI.

Leon. Lef-  
sius lib. 1. de  
Prou. Num.  
rat. 5.

Quid quòd Deus, ipsius naturæ ingenio, sicut pluit super iustos & iniustos, ita alicubi pijs pariter ac impijs prodigiosissimos fontes finit perennare, quibus sitim restinguant? Quippe insula cuidam Canarica, que FERRI dicitur, omni aqua dulci destituta subuenit diuina Providentia arboris cuiusdam presidio; cuius ea natura est, ut assidue, instar fontis, dulci humore stillet, qui hominibus & pecoribus ad potum sufficiat. Nimirum omnia vbique subsunt Deo; si vult, ex ipsis ignibus potest aquam producere, ex aquis ignes.

## Quis querat in arbore Nectar?

Sed Deus ibi potest reperire. Sicut fit, apud Sinas, vbi ex arborum fo-



sum folijs vina dulcissima exprimuntur. Dummodo nos Deum timeamus, *Non est inopia timentibus eum.* Potest è maxilla, imo è dente fontem prolificere, vnde Samsones bibant ad satietatem; imo & ad voluptatem. Nam & illa aqua, quæ, ad virgæ ictum, imo nutum, de petra, saxoque durissimo, profilijt, olei, & mellis dulcedinem præbuit gustantibus. Ita olim populum suum *constituit super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumq; de saxo durissimo.* Nempe, qui in Nuptijs, ex aqua vinum optimum fecit, facere etiam potest, vt ipsa aqua mellis gustum adipifeatur. Cum filijs Belial, cum noctes diésque per græcantibus Apicijs, cum sagis & magis nocturnâ vecturâ in cellas alienas, & ad dolia non sua peregrinantibus, etiam vinum Creticum in absynthium vertatur, & sit *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vna eorum, vna fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Amara enim conscientia, etiam ex Massico, aut Maronæo vino absynthiacum producit; vt etiam hîc cõgruat, quod de graphio Symposius Poëta dicit:

*Alter a pars reuocat, quidquid pars altera fecit.*

## C A P V T X V I I I.

*Aliunde desertis Dei seruis, etiam delicias apponi.*



**N**on Christo tantum, in deserto, Angeli ministrant, sed etiam ipse Christus Angelis, hoc est, hominibus in deserto. more Angelorum, viuentibus. Paut enim quinq; panibus quinq; virorum millia; imò plura postea millia Eremitarum. Neq; tamen putandû est, eos, quos etiam miraculosè sustentat diuina prouidentia, aut solo pane hordeaceo, aut sine dulcissima iucunditate semper sustentari. Sicut Christus, præter panes, etiam pisces apposuit suis conuiuis, in deserto; ita subinde etiam alijs sanctis delicias fugientibus delicias facit. Docet enim Ferrariensis, ea, quæ à Deo fiunt, immediatè, perfectiora esse his, quæ fiunt à Deo, mediante natura. Sicut ergo olim manna omnem suauitatem saporis continebat,

Pf. 24. 14.

Iudic. 13. 19.

Deut. 32. 13.

Ioan. 2.

Deut. 32. 32.

Sympos. in  
Ænigm.

I.

Ioan. 6. 11.